



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus III. An prædeterminatio tollat libertatem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

nisi metaphoricè talem : nam propriè & simpliciter efficax non est, quod est simpliciter impedibile suoque effectu frustrari potest : sed omnis

suasio, quæ sit per propositionem alicujus objecti particularis, est talis : ergò.

ARTICULUS III.

An prædeterminatio tollat Libertatem?

SUMMARI A.

1. Exponitur necessitas absoluta & conditionalis.
2. Necessitas suppositionis non semper obest libertati.
3. Quid sit necessitas antecedens.
4. D. Anselmus nomine necessitatis antecedentis non intelligit omnem illam, quæ oritur ex suppositione antecedenti.
5. Sed quæ orta ex causis naturalibus non relinquit locum indifferentiæ.
6. Nostræ libertatis radix remota & proxima.
7. Concordia prædeterminationis cum libertate ex sententia D. Augustini. 8. Prosperi. 9. & Doctoris Angelici.
10. Et ex ratione ostenditur.
11. Solvitur obiectio necessitatis antecedentis ex S. Anselmo.
12. Inimpeabilitas antecedentis non semper infert necessitatem.
13. Calvinus inepta illatio necessitatis ex inimpeabilitate divine causalitatis.
14. Prædeterminatio tollit indifferentiam potentialem non actualem.

S. I.

Explicatur necessitas antecedens.

Inter potissima argumenta, quibus physica prædeterminatio impugnatur, est illatio absurdi, quod illa posita tolleretur libertas arbitrii, & fatalis cujusdam necessitatis jugum creaturæ rationali imponeretur. Postquam igitur ex natura entis primi, ex intrinseca & essentiali dependentia causæ secundæ & effectûs creati à causa prima, tanquam à priori necessitatem physicæ prædeterminationis deduximus, illam cum arbitrii libertate concordare, & Adversariorum fundamentis occurrere, operæpretium erit. Pro quo

Notandum est primò. Necessitatem dividi in absolutam seu simpliciter, & in conditionalem, seu ex suppositione, & secundùm quid. Absoluta est, quæ oritur ex necessariâ habitudine extremorum ad invicem, uti necesse est hominem esse animal rationale, & totum esse majus sua parte. Conditionalis est quæ oritur ex suppositione alicujus tertii; sicut non est absolute necesse Socratem moveri, est tamen necesse illum moveri, ex suppositione quod currat. Prior necessitas Angelico Doctori est necessitas consequentis; posterior est necessitas consequentiæ.

Ex his prima, videlicet absoluta necessitas, semper præjudicat libertati, quia ubi est necessaria habitudo extremorum ad invicem, non relinquitur locus indeterminationi & indifferentiæ. Necessitas verò suppositionis non semper officit libertati, veluti ex DD. Augustini & Thomæ

Aquinat. doctrina clarè deducitur : nam ille in *Enchirid.* c. 103. inquit : *Nullus sit saluum, nisi quem DEUS voluerit.* Quem locum explanans Doctor Angel. 1. p. q. 19. a. 8. ad 1. dicit : *Per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis à DEO non absoluta, sed conditionalis : necesse est enim hanc conditionalem veram esse : Si DEUS hoc vult, necesse est hoc esse.* Similia habet in 1. dist. 47. a. 1. ad 2. Hujus ratio est : quod potest aliquid necessariò inferri & sequi ex suppositione, quæ sit causaliter vel formaliter libera, h. e. vel causativa ipsius : sed neutra suppositio tollit libertatem ; ergo necessitas ex suppositione non semper tollit libertatem. Major probatur : Ex suppositione, quod quis efficaciter intendat finem, necessariò sequitur electio medii unice necessarii, & tamen electio medii est libera, & potest esse meritoria. Item ex hypothesi, quod se homo liberè determinaverit ad cursum, sequitur necessariò, quod moveatur, & tamen liberè movetur : ex suppositione, quod DEUS aliquid sciat vel fieri velit, necesse est illud esse vel fieri, ut supr. ex S. D. vidimus ; & tamen fit aliquando contingenter & liberè. Ergò quod necessitas ex suppositione vel liberè causata non obstat libertati, libenter ab omnibus conceditur : quod suppositio libertatem causans eandem non impediatur, videtur æquè certum ; quia per quod aliquid ponitur & perficitur, per illud non destruitur ; sed suppositio, quæ causat libertatem, illam ponit & perficit : ergò non destruit.

Notandum secundò. Necessitatem, juxta communem doctrinam Theologorum desumptam è D. Anselmo in 1. 2. *Cur DEUS homo?* c. 18. dividi in *Antecedentem*, & *consequentem*, quarum illa admittit libertatem, non ista. Necessitas omnis, orta ex naturali connexionem causarum ac terminorum, est antecedens, ideoque contraria libertati : uti e contra omnis illa, quæ oritur ex suppositione alicujus effectûs impedibilis & consequentis liberam hominis determinationem, est consequens & innoxia libertati ; At verò, an necessitas proveniens ex aliqua suppositione inimpeabili & antecedente liberam nostræ voluntatis determinationem, hoc ipso sit necessitas antecedens, non ita liquet, affirmantibus scientiæ mediæ patronis, contradicentibus Thomistis, & Catholicis fautoribus prædeterminationum.

Quod atinet ad mentem D. Anselmi, is certè nomine necessitatis antecedentis non potuit intelligere omnem illam, quæ ortum trahit ex aliqua suppositione antecedente determinationem liberam voluntatis. ab eaque inimpeabili. Nam ipsæmet loc. cit. asserit, necessitatem, quæ oritur

ex

ex suppositione divinæ voluntatis, non tollere libertatem à nostris actibus. Ita enim inquit: *Quando DEUS vult effectum sequi voluntatem. tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Ubi primò ponit necessitatem conditionalem, secundò libertatem, ac tertio quidem suppositionem divinæ voluntatis antecedentem, & impedibilem. Dubitas de hoc ultimo? At non dubitat Angelicus Doctor, qui in 1. p. q. 19. a. 8. hanc ipsam suppositionem antecedentem, tacito Anselmi nomine, per modum objectionis sibi tertio loco proponit, ita loquens: *Illud, quod habet necessitatem NB. ex priori, est necessarium absolute, sicut animal mori est necessarium; quia est ex contrariis compositum: sed res creata comparatur ad voluntatem divinam, sicut NB. ad aliquid prius. Omnis autem conditionalis vera est necessaria: sequitur ergo, quòd omne, quod DEUS vult, sit necessarium absolute.* Hoc est ipsissimum argumentum, quod ex autoritate D. Anselmi nobis opponunt Adversarii, cui, ut ad ipsum mentem satisfaceret, debuisset negare minorem, quòd res creatæ liberæ, h. e. actus liberi & determinatio voluntatis creatæ comparentur ad divinam voluntatem, tanquam ad aliquam suppositionem antecedentem. Verùm ipse longè aliter respondit ad 3. ita dicens: *quòd posteriora habent necessitatem à prioribus (ecce suppositionem priorem, antecedentem!) secundum modum priorum, unde & ea, quæ sunt à voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem vult DEUS ea habere, (quia nempe omnipotentissima DEI voluntas non tantum continet virtute & causat actum, sed & modum ac libertatem ipsius) scilicet vel absolute, vel conditionatam tantum, & sic non omnia sunt necessaria absolute.*

5. Quam igitur necessitatem antecedentem intelligit D. noster Anselmus? Illam, quæ ex causis naturalibus orta, facit causam secundam absque rationis indifferentia, consensu, & deliberatione operari: sive deinde hæc necessitas sit absoluta, sive ex aliquâ suppositione proveniens: nam si v. g. ex suppositione eclipsis naturaliter sequatur mors hominis, etsi hæc necessitas sit ex suppositione, erit nihilominus antecedens; quia hæc suppositio infert naturalem determinationem sine rationis deliberatione. Hæc mens D. Anselmi colligitur ex ipsiusmet verbis & allato exemplo de motu cæli. *Necessitas, inquit, præcedens causat necessitatem, sicut necesse est cælum volvi: præcedens & efficiens necessitas est, cælum volvi: quia necesse est ut volvatur.* Et post pauca: *Violentia naturalis conditionis cogit cælum volvi, te verò nulla necessitas facit loqui.* Suppositio verò divinæ voluntatis & prædeterminationis necessitatem antecedentem inducere nequaquam potest, ut præter alia loca quàm plurima, luculenter in L. de corr. & grat. c. 14. indicat D. Augustinus: *Cui volenti, inquit, salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium.* (Hic exhibetur necessitas suppositionis, sive infallibilitas actus ex suppositione quòd DEUS velit) *sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, (indicat concordiam huius suppositionis cum libertate) ut divinam voluntatem non impediatur, (declarat in-*

impedibilitatem & antecedentiam suppositionis) nec superet potestatem. In eundem sensum paulò post: *Non est itaque dubitandum voluntati DEI, qui in cælo & in terra omniaque cuncte voluit, fecit, (ecce prioritatem causalitatis!) & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates (en infallibilitatem!) non posse resistere, quo minùs faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Tandem in fine capituli: *DEUS, inquit, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Ex quo ultimo D. Augustini pronuntio scilicet argumentari: voluntas causæ primæ magis influit in actum liberum, eumque tam parùm impedit à liberatione & indifferentiâ, (quia magis habet in sua potestate, &c.) quàm voluntas causæ secundæ; sed suppositio voluntatis, seu determinationis factæ à causâ secundâ non facit actum antecedenter sed tantum consequenter necessarium; ergò & suppositio voluntatis, seu determinationis à voluntate DEI non causat necessitatem antecedentem sed consequentem.

Notandum tertio. Radicem nostræ libertatis, esse duplicem; unam extrinsecam & remotam, nempe efficaciam divinæ voluntatis, cuncta creata non tantum secundum substantiam, sed etiam omnem suum modum & perfectionem attingentis; alteram proximam & intrinsecam, quæ est indifferentia cognitionis. Ratio primæ radicis, ut in Tract. de DEO advertimus, est quòd voluntas divina, juxta D. August. *liberrima, invictissima, fortissima,* sit prima radix & causa omnis creatæ perfectionis, infinitæ efficaciter se profundens totum ens & omnes ejus differentias, ita ut ex ipsa voluntate divina originetur necessitas & contingencia in rebus, inquit S. D. in 1. perih. lect. 14. nec alia radix contingentie sit assignabilis, ut loc. cit. dixit. Ratio secundæ radicis est, quòd voluntas tanquam cæca potentia in tantum potest habere, quòd in operando sit determinata, vel indifferentis, in quantum regitur determinatâ, vel indifferenti cognitione: ergò proxima & intrinseca radix, est quæ promanat libertas voluntatis, est cognitio indifferens. His ita præliminariter positis plena est ad nostram assertionem via.

§. II.

Prædeterminatio non tollit libertatem.

CONCLUSIO. *Prædeterminatio non tollit, sed causat actualem libertatem voluntatis.* Et hoc sanè evincunt autoritates SS. Augustini & Thomæ Aquinatis pluries relatæ. Si enim juxta D. August. modò cit. *DEUS magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas,* perfectius dominium DEO convenit in actus creatæ voluntatis, quàm ipsi homini: ergò, si ratione dominii in suos actus voluntas se ipsam determinando & applicando non destruit sed causat actualem libertatem, etiam vi infinitè perfectioris dominii DEUS humanam voluntatem determinando & applicando non destruit sed perficit & causat actualem libertatem.

Accedat Magistro Discipulus D. Prosper. quib. 1. 2. de voc. gen. c. 72. ita loquitur: *Omne voluit DEUS velle, voluerunt, quia ad obedientiam*

§. III.

Solvuntur objectiones.

dem sibi ipsum velle sic donat, ut etiam a per-
servetur illam mutabilitatem, quâ possunt nol-
le, non auferat. Ergo DEUS dando ipsum
velle actuale [quod non nisi prædeterminando
fieri posse ostensum est] non auferit potentiam
& mutabilitatem in oppositum, nec proinde tol-
lit libertatem.

D. Thomæ verò autoritas, præter jam ad-
ductas, clarissima est in 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. ubi
hac habet: *DEUS est prima causa movens &
naturales causas & voluntarias, & sicut natu-
rabilibus causis, NB. movendo eas, non auferit
quâ alius earum sint naturales: ita movendo
causas voluntarias, non auferit quin actiones ea-
rum sint voluntariae, sed potius NB. hoc in
eis facit, operatur enim in unoquoque secundum
eius proprietatem. & in 1. 2. q. 10. a. 4. in c.*
*Quia igitur voluntas est activum principium,
non determinatum ad unum, sed indifferenter
habens ad multa, sic DEUS ipsam movet
quâ non ex necessitate ad unum determinat,
sed remanet motus ejus contingens, & non ne-
cessarius, nisi in his ad quæ naturaliter move-
tur. Movet igitur DEUS voluntatem indif-
ferentem [ideo etiam quia indifferens est] non
tamen ex necessitate determinando ad unum.
Cur hoc? Adversarius dicit; quia offert con-
cursum simultaneum & relinquit puram deter-
minationem voluntati. Minime; sed quia mo-
vet ipsas causas ad actum voluntarium, & hoc
in eis facit, in ipsis operatur ut actus liberè
procedant: ipsa quoque voluntas ceu princi-
pium indeterminatum indiget moveri & deter-
minari.*

*Probat etiam ratione primò. Causa liber-
tatis actualis quâ talis, eandem non potest de-
struere: sed prædeterminatio physica est causa
libertatis actualis. Ergò. Minor probatur: Li-
bertas actualis, ceu perfectio creata, actus se-
cundus, & exercitium liberi arbitrii, in ipso
suo fieri & egredi essentialiter subordinatur cau-
sæ primæ ut actu causanti & influenti; sed non
nisi ratione physica præmotionis potest subor-
dinari, quâ solâ influxum causæ primæ, & ap-
plicationem causæ secundæ ad agendum salva-
ri posse ostendimus: ergò.*

*Secundò. Implicat, actum voluntatis ab in-
differenti cognitione procedentem non esse li-
berum; sed præmotio physica non impedit co-
gnitionem indifferentem: ergo etiam non im-
pedit actus libertatem. Major probatur: Si vo-
luntas, postâ cognitione indifferente, neces-
sariò tenderet in suum objectum, tunc operaretur
sine cognitione; sed hoc implicat: ergò.
Sequela probatur. Tunc voluntas operatur si-
ne cognitione, quando actus ab illa procedens
non dirigitur aliqua cognitione: non enim di-
rigeretur à cognitione necessaria, quia nulla
supponitur: non ab indifferente, quia cog-
nitio indifferens non est idonea regula actus ne-
cessarij.*

*Confir. Actus voluntatis procedens à cog-
nitione determinatâ ad unum non potest esse in-
differens: ergo etiam actus procedens ex cog-
nitione indifferente non potest esse necessa-
rius.*

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Objicies primò. Suppositio antecedens deter-
minationem liberi arbitrii est causa neces-
sitaris antecedentis; sed suppositio prædetermina-
tionis antecedit determinationem liberi arbitrii:
ergo est causa necessitatis antecedentis. Major
probatùr è S. Ansel. citato, & de concord. prædest.
c. 1. & 2. ubi factâ distinctione inter necessitatem
antecedentem & consequentem, antecedentem
dicit esse illam, quæ causa est, ut res sit; consequen-
tem, quam facit ipsemet operans; & primam dicit
præjudicare libertati, non autem secundam. Pari-
ter S. D. l. 2. phys. lect. 15. dicit: quòd illa sit ne-
cessitas absoluta, quæ provenit ex causis priori-
bus; & illa conditionata, quæ orta est ab eo
quod est posterius in esse.

Resp. ex dictis: Suppositio antecedens, quæ ex
se non infert aut causat libertatem, inducit neces-
sitarium antecedentem, concedo; quæ infert &
causat, nego. & similiter distinctâ minore, nego
conseq. Ratio responsi patet ex dictis in Not. 2.

*Ad probat. ex D. Anselmo & S. D. patet solu-
tio ex ibidem dictis: necessitas antecedens igitur
est, quæ causa est, ut res sit cum indifferentiâ, ne-
go: per modum naturæ cum determinatione ad
unum, concedo. item: est antecedens, quæ pro-
venit ex causis prioribus, continentibus & danti-
bus ipsum modum libertatis & contingentiam,
nego: non continentibus, concedo. Ita enim
SS. DD. ex ipsorum verbis explicari & intelligi
oportet.*

*Objicies secundò. Quicquid ex antecedente
inimpedibili in existendo per necessariam conse-
quentiam sequitur, est necessarium & inimpedi-
bile; sed prædefinitio & prædeterminatio sunt
antecedens inimpedibile in existendo; ergo actus
qui exinde sequitur est necessarius.*

*Resp. Hoc argumentum vix non in terminis si-
biipsum à S. Doctore objectum & solutum esse cir-
q. 19. a. 8. ita enim habet: Omnis causa que non
potest impediri (hoc est antecedens inimpedibile)
ex necessitate suum effectum producit; sed voluntas
DEI non potest impediri [est inimpedibilis] dicit
enim Apostolus: voluntati ejus quis resistit? ergò
voluntas DEI rebus volitis necessitatem imponit.
Respondet: Ex hoc ipso, quòd nihil divina volun-
tati resistit, sequitur, quòd non solum fiant ea que
DEUS vult fieri, sed quòd fiant contingenter, vel
necessariò, que sic fieri vult. Ideo ad mentem D.
Thomæ in forma, vel nego, vel disting. maj. si
illud antecedens non sit causa libertatis, con-
cedo: si sit, nego.*

*Instabis primò. Non potest DEUS hominem
liberè operantem magis necessitare ad operan-
dum, quàm imprimendo illam præviam qualita-
tem, quæ instar vinculi adamantini constringit
ad operandum. Ergo per illam non datur sed au-
fertur libertas.*

*Resp. neg. antec. quia priùs deberet auferri cog-
nitio indifferens, quâ stante impossibile est, ut
actus ex ejus directione elicitus, non sit for-
maliter indifferens. Nec est adamantinum vin-
culum, quod ipsam libertatem reducit in
actum; cum sit executio divinæ providentiæ,
quæ*

quæ licet attingat omnia fortiter, simul tamen disponit omnia suaviter.

13. *Adhuc instabis.* Calvinus cum suis non negat cognitionem indifferentem, quam docet experientia, & tamen ex prædeterminatione infert, auferri potentiam ad utrumlibet.

Resp. Quid tum? In hoc ipso peccavit non tantum malus Theologus sed etiam Philosophus, quod ex motione causæ primæ, relinquire indifferenciam cognitionis, intulerit jacturam libertatis & indifferenciæ in voluntate. Exprobrabit Thomista Calvino, urgenti necessitatem, illud D. Hieronymi in ep. ad Cresiphont. contra Pelag. Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad DEUM semper auctorem recurras, si ex illius pendes voluntate? &c. Et l. 3. adv. Pelagium: Egone liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi ut omnipotentiam DEI cum libero arbitrio conservarem?

14. *Objicies tertio.* Prædeterminatio tollit indifferentiam voluntatis, quia determinat ad unum: ergo tollit libertatem.

Respond. Prædeterminatio tollit indifferentiam voluntatis potentialem & privativam tantum, concedo: actuale & negativam, nego. Rursus: determinat ad unum cum directione cognitionis indifferentis, concedo: per modum naturæ & sine tali directione, nego.

Inquis: Illa determinatio tollit indifferentiam actualem, quæ adimit potentiam oppositi; sed prædeterminatio illam adimit: ergo.

Resp. quæ adimit potentiam oppositi in sensu tam composito quam diviso, concedo: quæ tan-

tum in sensu composito tollit potentiam oppositi, nego.

Instabis. Voluntas prædeterminata ad unum sensum nec in sensu composito nec diviso potest ponere dissensum; ergo nullam prorsus habet potentiam ad dissensum, & consequenter non est libera. Antec. prob. Ponere dissensum in sensu diviso prædeterminationis est illum ponere non coexistentem prædeterminationi, sed tamen dissensum voluntas ponere non potest: ergo Minor prob. In ejus potestate non est ponere unum extremum, in ejus potestate etiam non est alterum extremum cum ejus existentia componere vel non componere: Sicuti, quia existentia Petri non est in potestate Solis, ideo non est etiam in potestate Solis, ponere lucem coexistentem vel non coexistentem Petro: sed non est in potestate voluntatis ponere prædeterminationis existentiam; ergo etiam non est in ejus potestate cum illa dissensum componere vel non componere: sive ponere dissensum ut coexistentem, vel non coexistentem.

Resp. neg. antec. & minor. probationis, utrimque probationem distinguo. In cujus potestate non est ponere unum extremum &c. nisi illud extremum causet ipsam potestatem & indifferentiam, transeat: si causet, nego, & pariter distincta min. nego consequ. Nec instantia de Petro quicquam probat; nam Petrus non est essentialis causa lucis ponendæ, uti est contra prædeterminationem est essentialis causa electionis à voluntate liberè ponendæ.

Sed quia de potentia dissentendi in sensu composito hoc loco specialis est difficultatis, ideo sit

ARTICULUS IV.

An positis omnibus requisitis ad agendum voluntas debeat in sensu composito posse agere, vel non agere, ut sit formaliter libera?

SUMMARI A.

1. *Alia prærequisita ex parte actus primi, alia ex parte actus secundi.*
2. *Genuina explicatio sensus compositi & divisi.*
3. *Negatio sensus compositi non tollit simultaneam potentiam, sed potentiam simultatis.*
4. *Negativa assertio probatur duplici ratione.*
5. *Et multiplicibus exemplis.*
6. *De ratione libertatis est, cum omnibus requisitis ad operandum posse non operari in sensu diviso.*
7. *Adversarii fallaciter argumentantur à sensu composito ad divisum.*
8. *Exponitur mens Concilij Tridentini.*
9. *Voluntas premota ad amorem est æquè potens ad odium, quàm ad amorem.*
10. *Prædeterminatio remouetur ab actu primo.*
11. *Agere & non agere sumitur equaliter in definitione libertatis potentialis, non actualis.*
12. *Quandonam posito possibili in actu nullum sequatur inconveniens.*
13. *Mala acceptio sensus compositi destruitur.*

§. I.

Expositio sensus compositi & divisi.

EX prærequisitis ad agendum alia sunt, quæ pertinent ad actum primum, seu ad posse agere, alia ad actum secundum, seu ad ipsummet agere. Ad actum primum liberi arbitrii præter ipsam potentiam voluntatis, pertinet indifferens propositio objecti viresque sufficientes, quas in ordine supernaturali ad actus bonos DEUS per auxilium sufficiens, quod à D. Augustino vocatur *auxilium sine quo non*, suppeditat. Ad actum secundum pertinet tum ipsa intrinseca liberi arbitrii determinatio, tum ipsa Thomistarum doctrina] decreta prædeterminationis de quibus alio loco dictum, & prædeterminationis physica, de qua modo egimus.

Porrò ante resolutionem questionis ante omnia sciendum, quid sensus compositi & divisi nomine Thomistæ intelligant? Itaque eorum posse distinguunt per sensum compositum & divinum, e.g. homo sedens potest ambulare in sensu divi-